

## IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

EVANGELIUM. JOANN. VIII.

In illo tempore, exiit Jesus in montem orare, et orat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos et elegit duodecim ex ipsis quos et apostolos nominavit: Simonem quem cognominavit Petrum et Andream fratrem ejus, et Jacobum, et Joannem Philippum, et Bartholomæum, Matthæum, et Thomam, Jacobum Alphæi, et Simonem, qui vocatur zelotes, et Judam Iscariotem qui fuit proditor. Et descendens cum illis stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Hierusalem, et maritima Tyri et Sidonis qui venerant ut audirent eum, et sanarentur languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur: et omnis turba quærebat eum tangere quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.

## ONCIONES.

- I. De numero duodenario apostolorum.
- II. Duodecim apostoli totidem lapides pretiosi.
- III. Apostoli ostenduntur catholici.
- IV. Quæ documenta nobis det culter S. Bartholomæi.
- V. Effectus sacramenti eucharistiae seu sanctæ communonis.
- VI. Remedia contra impatientiam ægrorum a Christo profluentia.
- VII. Ritus inaugurationis summi pontificis.

- VIII. Documenta evangelica.
- IX. Mysteria.

## CONCIONES AUCTARIL.

- I. Documenta ex pelle Bartholomæi.
- II. Usus linguae malæ varius.
- III. Apostoli cur præ ceteris tanta passi.
- IV. Bona injusta spiritus sunt immundi.
- V. Cultro seu gladio justitiae qui utendum.

## CONCIO I.

## DE NUMERO DUODENARIO APOSTOLORUM.

Ex Genesi. — II. Ex Exodus. — III. Ex Levitico. — IV. Ex Numeris. — V. Ex Josue. — VI. Ex lib. Regum. — VII. Ex Apocalypsi.

## THEMA.

Elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit. Luc. VI.

Mysterio non caret duodenarius apostolorum numerus. Etenim Actor. I. postquam Judas defecisset, dicebat Petrus oportere in ejus locum alium subrogari, et Matthiam elegerunt. Sic etiam Israelita sedulo caverunt, ne qua ex duodecim tribus deleretur: ut patet Jud. ult. ubi idcirco rapuerunt virgines, et dederunt eas tribui Benjamin in uxores, quod ejus mulieres omnes

interfectæ essent. Unde ibi dicunt: *Magna nobis cura ingentique studio providendum est, ne una tribus deleatur ex Israel.* Quod si tantum referebat duodecim esse tribus Israelitarum juxta numerum duodecim filiorum Israel, non minus referebat duodecim esse apostolos. Et licet hujus rei causa soli Christo notæ sint, scio tamen hunc numerum juxta sacras litteras adeo convenire apostolis, ut congruentior esse non potuerit. Audiamus.

I. In Gen. c. LV. et XLII. figurantur per duodecim filios Jacob per quos totum Israelitarum genus ortum et propagatum est: ita enim et totum Christianorum genus et semen Christi spirituale per duodecim apostolos propagatum et propagatum est. Isa. LX. de apostolis dicitur: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columba ad fenestras suas (alii legunt, quasi columbae cum pullis suis) nubes sunt apostoli, quia terram aridam pluvia verbi Dei imprægnaverunt: columbae*

sunt, quia maxima fœcunditate innumeros peperere pullos.

II. In 1. Exodi plures invenimus apostolorum figuræ. Exod. XV. legimus Israelitas in deserto peregrinantes de Mara venisse in Elim, ubi erant duodecim fontes et septuaginta palmæ, et castra metatos esse juxta aquas; per hos duodecim fontes duodecim apostolos; per septuaginta palmas, discipulos Christi significari vult Origenes, homil. VII. in Exod. quia nimis apostoli instar fontium duodecim salutaribus doctrinis totam preservavere et irrigavere terram, omnibusque verbis Dei aquam, salientem in vitam æternam propinarunt. S. etiam Hieronymus, epist. ad Fabiol. ait: *De Mara (id est, amaritudine) venimus in Elim (id est, arietes et robustos principes gregis christiani) ubi duodecim fontes doctrinæ apostolicæ et septuaginta palmæ victricis fidei septuaginta discipulorum Domini nos recreant.* Sic et Tertullianus, l. IV. contra Marcion. c. XXIX. peregrinamus etiam nos in deserto hujus vite, et quid habemus nisi mara, nisi duodecim illi fontes, aquam verbi Dei salientem in vitam æternam nobis propinassent? Quid enim est doctrina gentilium, quid doctrina mundi nisi mara? Quid enim illa veri et solidi, quid æterni promittit? Certe ut aqua amara magis excitat sitim, ita doctrina et sapientia terrena appetitum beatitudinis non satiat, sed excitat. Igitur quemadmodum Israelitas mox castra metati sunt juxta fontes illos: ita facere quivis Christianus debet, habitare in qua et vivere juxta doctrinam apostolicam fluentem perenniter ad nos per ora doctorum Ecclesie immofigere castra sua, ne latum quidem unguem ab ea discedere, eam sedulo degustare.

Secundo, Exod. XXIV. post acceptam in monte Sinai Dei legem erexit Moyses ad radices montis duodecim titulos, seu lapides instar statuarum vel altarium, in signum testimonii, quod duodecim tribus legem Dei acceperint, audierint et servare in æternum promiserint, immolaveruntque ibi vitulos duodecim. Similiter apostoli post datam in montem Sion, festo pentecostes, legem Christianorum, facti sunt per universum orbem quasi lapides testimonii, quod legem Christi per ipsos acceperimus, quem et sanguine suo firmarunt et subscripsérunt. Unde ipsi velut duodecim altaria per martyrium consecrata nobis erecta sunt in testimonium, ne unquam legem hanc desereremus. Væ ergo nobis, si legi illi vel fidem non habeamus, vel repugnemus. Quis enim non adhæreat fidei, quæ sanguine duodecim apostolorum, qui Christo semper adhærebant, firmata est? Num ita vesanos putabimus fuisse omnes

apostolos, ut nescierint, quid agerent? Quare morerentur? Cui crediderint?

Tertio, Exod. XXXIX. portabat summus pontifex supra pectus in rationali duodecim lapides pretiosos, juxta numerum duodecim filiorum Israel, in quibus et eorum nomina insculpta erant, ut et in superhumerali. Quo loco designari duodecim apostolos vult Tertullianus, lib. IV. contra Marcionem, et Divus Hieronymus, in cap. XXVIII. Ezech. Ratio est, quia ut gemmæ illæ vestem sacerdotis; ita apostoli vestem Christi, id est, Ecclesiam illustrant, vita nimis suæ saceritate et doctrina. Vestem Christi, Ecclesiam esse, vidit Beatus Petrus Alexandrinus, cui Christus veste discissa apprens dixit, Arium ei vestem suam, quæ est Ecclesia, ita dilacerasse. Apostolos vero hujus vestis gemmas, ornamentum et splendorem esse quis dubitat? Quomodo enim non maxime illustrat Ecclesiam, quod homines rudes et piscatores, tam pauci, brevi tempore totum pene convertere orbem, tot nationes, tot reges Christo subjecerunt, sine armis, sed prodigiis, verborum efficacia et vita exemplo? Non poterunt omnes gentiles imperatores cum tot machinis et exercitibus tot sibi subjicere nationes, quot pauculi apostoli inermes.

III. In Lev. cap. XXIV. precepto Dei duodecim panes propositionis constituebantur in mensa coram Domino, et singulis hebdomadibus renovabantur, ut sic continuo Deus panum conspectu recordaret populi sui ad necessaria eis subministranda: et similiter populus moneretur ad Deum pro pane quotidiano exorandum, et ad gratias ei agendas. Apostoli panes ejusmodi sunt, tum, quia totum pavere mundum pane verbi Dei: tum, quia instar panis tribulati, moliti et in furno passionis cocti sunt, atque ad mensam Christi in celo appositi (juxta id D. Ignatii eorum discipuli: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar*) adeoque Deo et hominibus ad spectaculum propositi. Et quid putatis faciunt in illa mensa? Deum pro Ecclesia sua conservanda perpetuo orant et monent, sicut et in deserto fecerunt, Matth. XIV. maxime vero pro iis nationibus, quas eorum quilibet in Christo genuit, velut pro clientibus suis. Nec dubium, quin horum aspectu panum Deus plurimum moveatur, si tamen et nos eorumdem crebra renovatione, id est, invocatione Deum commonefaciamus, eique merita illorum repræsentemus Propterea enim festa illorum, per annum solemniter celebramus, ut inter alia etiam illorum intercessionibus Deum nostri memorem reddamus: atque idcirco forte, thure plenæ phialæ ponebantur super panes illos, ut indicaretur nos-

tras etiam addendas esse preces, si illorum preces nobis esse proficua velimus, juxta id. Ps. CXL. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*

IV. In lib. Num. cap. I. legitur Moysen elegisse ex omni populo duodecim principes, qui ducerent per desertum in Chanaan et terram promissam populum, et instruerent in lege Dei. Qui clare representant duodecim apostolos: illi siquidem sunt, qui mundum sub Aegyptiaca dæmonis servitute pressum eduxere, ex angustiis peccati ad gratiam et cœlum denuoque: Thomas duxit Indos, Andreas Achivos, Joannes Asiaticos, Thaddæus Mesopotamios, Simon Aegyptios, Bartholomæus Armenios, etc. Illi dicuntur *nobilissimi*, (Hebr. vocati, scilicet a Moyse ad senatum synagogæ.) Sic apostoli e Christo ad senatum Ecclesie: de quibus Ps. XLIV. dicitur: *Constitues eos principes super omnem terram*. Ipsi nos docuerunt legem Dei: ipsi velut duces nos præcesserunt, debelandio ante nos hostes.

Secundo, Num. VII. iidem principes singula dona contulerunt ad ædificium tabernaculi: ita et apostoli ad spirituale ædificium Ecclesie tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, sanguinem, capita sua, Bartholomæus pellem suam: his enim lapidibus postquam variis tormentis dolati sunt, extracta est Ecclesia super adamantem fortis. Cum enim gentiles viderunt apostolos, quidvis pati malle, quam Christo renuntiare, esseque lapidibus duriores, et ad omnia tormenta paratos et infractos, plus inde convicti et ædificati sunt, quam si eos milites concionantes audissent, et inde agminatim ad Ecclesiam accesserunt, eumdemque fortitudinis Spiritum induerunt.

Tertio, Num. XIII. legimus a Moyse selectos e populo duodecim viros, qui mittebantur ad explorandam terram promissionis, ut sic deinde populus animaretur ad persequendum iter suum versus eamdem terram, qui explorata terra tulerunt secum fructus terræ illius, botrum fucus, et malogranata, in testimonium bonitatis terræ illius. Designatos fuisse per hos exploratores apostolos, expendit Rupertus, l. I. Num. c. XXXVII. Terra illa humanitas Christi est; eam nomine omnium explorarunt et viderunt ipsi, nobisque triples inde attulerunt fructus: botrum, quia viderunt Christum patientem et abscissum de terra viventium, Isa. LIV. pendente de crucis pertica: fucus, quia viderunt eum resuscitatum per quadraginta dies quibus cum illo dulciter epulati et conversati sunt: malogranata, quia viderunt eum coronatum gloria, et honore induatum, partim in monte Thabor, cum ante eos trans-

figuraretur; partim in ascensione, cum divina sua virtute ascendit in cœlos; partim in missione Spiritus sancti. Quæ omnia satis superque nobis esse debent, et fidem eis adhibeamus, atque iter cœli fortiter prosequamur. Si enim: *In ore duorum vel trium, Domino teste, stat omne verbum, quanto magis in ore duorum?*

V. In lib. Jos. c. IV. constituit Josue duodecim viros, qui per Jordanem præcederent arcum, et tollerent in Jordanis medio duodecim lapides, quos in terram humeris efferent, et alios duodecim statuerunt in medio Jordanis alveo, in testimonium præstiti sibi beneficii et miraculi, quo eos Deus cum arca per Jordanem sicco pede transire fecerat. Et si interrogarentur a filii suis: *Quid sibi volunt lapides isti*, responderent: *Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fiederis Domini: idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel in æternum: apostoli sunt et viri et lapides illi*. Viri, quia tulerunt de medio Jordanis (id est, de vita et morte Christi) duodecim lapides, id est, articulos fidei in unum cumulum symboli apostolici) et per hoc fidem nobis fecerunt, arcum humanitatis Christi sicco pede, (id est, triumphata et superata, morte) Jordanem, (id est, mortem) transisse, quatenus mortem quidem ingressa, sed mox iterum sine corruptione et lésione egressa ac paulo post in terram promissionis elata est: lapides item in medio Jordanis eminentes et conspicui collocati sunt, quia testantur nobis, vitam factam esse beneficio arcæ humanitatis Christi ad cœlum omnibus hominibus, juxta id. Habac. III. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum*: in quantum prædicant nobis esse in hoc mundo remissionem peccatorum, adeoque sublatum et retroactum dæmonis imperium, quod deorsum nos trahebat: iter vero cœli, siccum, planum, facile effectum. Unde si interrogemur, quid sibi velint duodecim illi lapides, apostoli, respondemus eos testes esse redēptionis humanæ, concessæ peccatorum indulgentiæ et novæ ac facilis in cœlum viæ apertæ. Unde Dominus discessurus ab eis dixit: *Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Iudea et Samaria et usque ad ultimum terræ, Actor. I.* Quemadmodum etiam lapides illos utpote firmissimos, nulla aquarum vis subruere poterat: ita nullatormentorum et persecutionum procella apostolos dimovere, quin et virtute multa redderent testimonium resurrectionis Jesu Christi.

VI. In lib. III. Reg. cap. IV. constituit Salomon duodecim præfectos, qui præberent annonam regi et domui ejus. Quo loco glossa mor. ait: Figuratos esse discipulos et apostolos, qui veri Salomonis

Christi domui, id est, Ecclesiæ præbuerunt alimoniam verbi Dei et sacramentorum. Ejusmodi enim præfectos videtur constituisse apostolos Dominus cum eis dixit: *Date illis vos manducare*, Marc. VI. cumque eis panem dedit ut apponenter turbæ. Sed et ipsi regi Christo præbuerent annonam, quando adduxerunt ei gentes noviter a se conversas: cibum Christo omnium suavissimum et gratissimum. Petrus Italiam Christa transmisit: Andreas Achaiam, Græciam, Thraciam, Byzantium: Jacobus Major Hispaniam, Cellicam, Arabiam scilicet: Minor Hierosolymam: Joannes Asiam: Philippus Syriam: Simon Aegyptum: Bartholomæus Bactriam, Lyaconiam, Armeniam: Matthæus, Æthiopiam: Thaddæus Persidem et Mesopotamiam: Thomas Indianam, Brachmanes et Hyrcanos: Matthias Judæam et concavam Syriæ.

Secundo eodem libro, c. VII. fecit Salomon mare fusile in templo, quod sustentabat duodecim boves, quorum tres ad singulas orbis partes capita vertebant; et posteriora eorum latebant intrinsecus. Figurabant isti boves apostolos, teste Divo Gregorio, II. p. curæ pastor. c. V. quia ipsi baptismum et sacramenta per universum orbis partem, quia fidem Trinitatis, in qua baptizari debemus, in quatuor mundi partibus annuntiarunt. Posteriora eorum latent, vel quia secundum Gregorium merces eorum, et posterior gloria nos adhuc latet; vel secundum Rupertum, quia non debemus respicere quales aliquando fuerint apostoli, sed quales per Christi gratiam effecti sint, ut sic faciem eorum intuemur, non tergum. Certe bobus trituranibus, ecceparat se suosque coapostolos Paulus, I. Corinth. IX. nec immerito, quia arabant agrum Christi et messem ejus tritubant, denique ad nuptias ejus mactati sunt. Boves primo, erant apostoli, id est, tardi et stupidæ, sed postea tales edidere boatus, quos totus audivit terrarum orbis, quemadmodum et de Divo Thoma Aquinate predixerat Albertus Magnus ejus magister: bovem scilicet hunc (ut vocabatur a condiscipulis, etc.) aliquando mugitus editurum, qui per orbem audiarent, quod et factum.

Tertio, eodem libro, c. X. leguntur duodecim leunculi ficti ambivisse thronum Salomonis, stantes super sex gradus, teste Ruperto et Eucherio, hoc loco. Leunculi apostoli sunt, quia illis dixit Dominus, Matth. XIX. *Sedebitis super sedes duodecim tribus Israel*. Thronus judicaria Christi potestas: sex gradus, sex dierum opera sunt, adeoque omnes creaturæ super quas constitutus est Christus, et modo quodam etiam apostoli judices. Quamobrem habemus sane cur apostolos non tantum amemus, quod per suam prædicacionem nobis mugierit in mundo: sed etiam cur timeamus, quia aliquando rugient et fugient contra eos, qui eorum evangelio vel non crediderunt vel non conformiter vixerunt.

VII. In lib. Apoc. c. XII. reperiuntur duodecim stellæ, quibus coronata mulier, Ecclesia scilicet, Joanni visa est, denotantque duodecim apostolos, ut ibi omnes interpres docent, quia ipsi luce doctrina, vita exemplis et miraculorum fulgoribus Ecclesiam illustrarunt. Caput autem Ecclesiæ Christus est: unde apostoli primario quidem Christum ipsum coronant, quatenus sua prædicatione et industria Christum regem omnibus gentibus suscipiendum et colendum persuaserunt, atque ita quodammodo regem orbis constituerunt, quamvis non propria sed Christi virtute: secundario vero Ecclesiam, quia eamdem, luce sua, mirum in modum illustrarunt. Unde Dominus ait illis: *Nos estis lux mundi*, Matth. V. In quem locum S. Basilius ait: «Adveniente luce auroræ ægritudines alleviantur, homines in somno excitantur, aves garrint, bestiae ad latibula sua fugiunt: sic veniente fide apostolorum mundus fuit ædificatus in credendis, fecundatus in operibus bonis, alleviatus a peccatis, excitatus a negligentiis, animatus ad contemplationem celestium, et ereptus de potestate dæmonum. » Certe sine stellis illis navigaremus in mediis tenebris et undique erraremus, quemadmodum ante lucem evangelicam errarunt homines, ita ut etiam fornicationes, adulteria et Sodomie scelus viderentur peccata, et dii lignei ab ipsis colerentur. Lucentibus vero de nocte stellis mox dirigere cursum suum, ne exerrent, nautæ possunt: ita et Ecclesia, beneficio apostolorum.

Eodem libro, c. XXL vidit Joannes cœlestem Jerusalem, cuius murus habebat fundamenta duodecim et portas duodecim et in portis angelos duodecim. Quæ fundamenta et porta typus apostolorum sint, ibi Blasius Vegas ostendit: fundamenta, quia ad Ephes. II. dicitur: *Estis cives sanctorum super ædificati super fundamentum apostolorum*: fundamentum inquam tum Ecclesiæ militantis, tum triumphantis (non quidem primum, quod est Christus, sed secundarium.) Quia super eorum prædicatione eatenus fundamus fidem et salutem nostram, quatenus Christi fidem et salutem æternam nobis annuntiarunt; et hoc testimonium suum vita sanctitate miraculis et sanguine suo firmarunt. Portæ illius, Jerusalem sunt, quoniam per eos patet factus est aditus ad regnum celorum, omnibus nationibus sive ex oriente veniant, sive ex occidente, sive ex septentrione, sive a meridie. Duodecim angeli in portis sunt angeli collaboratores apostolorum. Unde

merito concludimus, quantum debeamus apostolis, per quos viam cœli didicimus et ingredimur.

Sed quid nos ex hoc discursu emolumenti capiemus? Sane duodecim apostoli sub his expressi typis documento sunt senatoribus civitatum qui communiter sunt duodecim, et in rebus politicis civitatis sunt apostoli. Monentur ergo ex l. Genesis, ut sint patriarchæ seu magni patres patriæ; sic enim apud Romanos vocabantur Patres conscripti: monentur ex lib. Exodi, ut sint fontes Elim, unde hauriri queat justitia; sint tituli seu testes legum datarum et observandarum; sint gemmae in rationali, id est, splendeant bono exemplo in republ. monentur ex l. Leviticus, ut sint panes propositionis, hoc est, altores civium præsentim miserorum et egenorum: monentur ex lib. Numer. ut diligent et procurent decorum domus Domini, eamque sua imprimis præsentia ornent; sint morum exploratores et censores: monentur ex l. Josue, ut lapides ex Jordane efferrant, id est, scandala e rep. tollant: monentur ex l. Regum, ut sint præfecti annonæ ad civium sustentationem commodam; sint boves capita in diversum inclinantes, ita ut ne omnes in quacumque re in eamdem eant sententiam, ne rem publicam evertant, si ad unius caput omnes se conforment: quis enim nescit everti navem, cum omnes navigantes ad unum tantum latus propendent? Sint leunculi, id est, leonino animo current, parcere prostratis et debellare superbos: monentur ex l. Apoc. ut sint stellæ et corona reip. sue sapientia et morum gravitate eam co-honestant; sint fundamenta reip. hoc est, immobiles in justitia administratione; sint portae patentes omnibus miseris ad ipsos confugientibus.

## CONCIO II.

## DUODECIM APOSTOLI TOTIDEM LAPIDES PRETIOSI.

- I. S. Petrus jaspis. — II. S. Andreas sapphirus. — III. S. Jacobus Major chalcedonius. — IV. S. Joannes smaragdus. — V. S. Philippus sardonius. VI. S. Bartholomæus sardius. — VII. S. Matthæus chrysolithus. — VIII. S. Thomas berillus. — IX. S. Jacobus Minor topazius. — X. S. Thaddæus chrysoprasus. — XI. S. Simon hyacinthus. — XII. S. Matthæus amethystus.

## THEMA.

*Elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit. Luc. VI.*

In hodierno evangelio fundamentum posuit Christus Ecclesie tam militantis, quam trium-

phantis, quando elegit duodecim discipulos, futuros orbis apostolos et Ecclesiæ fundamenta, quorum humeris quadammodo nixus Ecclesiæ murus incubuit; (uno Juda proditore dempto, cui suffictus est Matthias.) Aperte hoc testatur S. Joannes, Apocal. XXI. ubi ait ostensam sibi civitatem sanctam Jerusalem descendenter de cœlo; cuius murus habebat fundamenta duodecim: et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni. Quod imprimis Alcazar non male exponit de duodecim articulis fidei, quos apostoli contulerunt: sed nec male Ribera aliique, qui idipsum de duodecim apostolis exponentum asserunt. Huic igitur sententiæ in præsentia insistamus.

I. Lapis jaspis dicitur, D. Petrum apostolorum principem denotans. Primo, quia ut jaspis gemma virens et firmissima est, ita Petri fides omnium fortissima; siquidem ipse dictus est petra et constitutus Ecclesiæ fundamentum, quod usque hodie firmiter consistit et durabit usque ad mundi finem; ei præterea dictum a Christo: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Secundo, jaspis dicitur resistere phantasmatibus et magicis operationibus: et Petrus restitit Simoni mago eumque suis precibus ex aere dejecit. Tertio, jaspis in argento virtuosior et efficacior est, quam in auro, auct. Bart. Angl. lib. XVI. c. LIII. ita Petrus in occidente cathedram ponens (Romæ scilicet, occidentis metropoli,) firmior extitit, quam in oriente (Antiochiae, scilicet orientis metropoli) quod ex hoc appareat, quia ex oriente migravit in occidentem, et quia oriens defecit a fide, non occidens.

II. Sapphirus, Andreæ typus. Primo, quia coloris est cœrulei cœlum serenum referentis; qui tamen color non est nisi altissimæ lucis profunditas, oculum absorbens, et hebetans, ut videatur esse cœruleus oculo, cuius acies infirma in eo perspiciendo succumbit. Talis autem et Andreas, qui primus omnium cum altero quodam Christum secutus, mansit apud eum die illa et arcana doctrinæ et divinitatis ejus perspexit. Unde Sanctus August. tract. VII. in Joan. ea de re ait: *Quam beatum diem duxerunt? Quam beatam noctem? Quis est qui nobis dicat, quæ audierunt ibi a Domino?* Sic ille. Secundo, sapphirus radiis solis percussus ardenter emitit fulgorem: ita Andreas majestate, vocatione et sermone Christi quasi percussus ac vulneratus, in amorem et sequelam Christi mox exarsit et Petrum fratrem inveniens voce illa: *Invenimus Messiam, quasi fulgore quodam collustravit, et ad Christi amorem accedit.* Ad hæc in cruce pendens et cœlesti lumine perfusus populum docere non destitit.

Tertio, veneno resistit et araneæ junctus eam occidit, teste Dioscoro apud Angel. libr. ib. capite LXXXVII. ita Andreas Egææ proconsuli pestifero, qui a populo compulsus, ipsum de cruce solutum venerat, victor restitit: dæmones præterea ligavit et ab hominibus depulit.

III. Chalcedonius (quibusdam videtur esse carbunculus, uti in Exodo proponitur) Jacobum magorem repræsentans. Primo, quia ut is lucernæ vel igniti carbonis instar splendet: ita Jacobus primus ex apostolis subiens martyrium, cœteris ad idem præluxit. Secundo, quia ut ille digitorum attactu incandescens paleas ad se attrahit, ita Jacobus a lictoribus comprehensus et tortus paleam, hoc est, impium, a quo ductus ad tribunal erat, fortitudine sua ad fidem et martyrium suique amorem attraxit; veniam etiam pententi osculum pacis impressit. Tertio, ut is sub di splendet, non sub tecto: ita Jacobus libere Christum Deum confessus est, ac prôinde sub odio, passim foro et plateis, in Hispania et Judæa: quæ causa videtur esse, quod ipse primus et præ omnibus apostolis comprehensus et occisus est ab Herode, Actor. XII. quod videlicet esset filius tonitru in concionando et terribilis Judæis: quemadmodum et Hispanorum hostibus terribilis fuit in acie, visus equo in albo præliari ex aere contra Mauros.

IV. Smaragdus Joanni debitum primo, quia ob perpetuum clarumque viorem signum virginitatis est, ut scribit Pierius, l. XL. hierogl. Joan. virginitate perpetua præ cœteris enitit et semper quasi virens diutissime vixit, usque ad annum Christi 101. Secundo, smaragdus vino vel oleo perunctus proficit in virore, ut scribit Auglicus, l. XVI. c. LXXXVIII. Joannes in ferventis olei dolium immissus vegetior inde exivit. Tertio, res, quibus admovetur aeremque circumfusum suo colore viridi imbiuit: pari modo Joannes totas Asiæ fundavit rexique Ecclesiæ ac sua doctrina et sanctitate imbiuit; in Patmos etiam insulam relegatus incolas instituit, auctore Metaphras-te.

Quarto, politus instar speculi omnia repræsentat; unde Nero imperator gladiotorum pugnas in smaragdo aspiciebat, teste Isidoro apud Angelicum, loco cit. Ita Joannes in suo evangelio, in quo Christi divinitatem ejusque gesta accuratissime et quasi ad oculum demonstrat, totius mundi elegantissimum speculum factus est.

V. Sardonyx, Philippi typus. Primo, ob candorem ab onyche participatum. Candor autem animali in Philippo imprimis fuit: propterea enim illum præ cœteris discipulis Christus interroga-

vit: *Philippe unde ememus panes?* Secundo, ob ruborem etiam a sardio mutuatum, candori onychino mixtum. Ita enim Philippus ruborem sanguinis et martyrii sui a Christo mutuatus est; siquidem et ipse cruci affixus et præterea lapidibus obrutus est. Tertio, quia ad sigillandum adhibitus ceram non attrahit vel aufert; quemadmodum et Philippus non sumpsit sibi honorem non debitum, nec præstulit se alteri, aut instruit se ad Christum interpellandum, quando gentiles ei dicebant: *Domine volumus Jesum videre,* Joan. XII. Prius enim hoc Andreæ tamquam priori et digniori, ut volunt Chrysostomus et Euthymius, indicavit.

VI. Sardius Bartholomæum designat. Primo, quia sanguinei coloris est, quemadmodum Bartholomæus excoriatus, totus undique sanguine rubens. Secundo, sardius feris terrorem incurrit; ita Bartholomæus idolorum sacerdotibus in Armenia, cuius regem et conjugem cum duodecim civitatibus converterat; unde ab illis incitatus Astyages regis frater ei pellem detrahi iussit. Tertio, onyx noxias suas virtutes exercere præsente sardio nequit: ita dæmon in judicio idolo Astaroth, præsente Bartholomæo homines affligere non potuit, sed catenis constrictus fuit.

VII. Chrysolithus Matthæum exprimit. Primo, quia marinum colorem aureo mixtum habet; quia Hebreis vocatur tharsis, id est, mare, ut docet S. Hieronymus, in comment. super Dan. cap. X. Mare autem poenitentiam designat, ob sui amaritudinem; proinde Matthæo competens, qui prope mare in telonio sedens a Christo vocatus surrexit, et peccatis pristinis valedicens, Christum secutus est et poenitentium exemplar factus. Aureum igitur colorem habuit in telonio, dum auro inhairet: marinum in poenitentia.

Secundo, ardentes scintillas diffundit chrysolithus. Idem fecit Matthæus suo imprimis evangelio, quod primus omnium et copiosius scribit, apostolis Bartholomæo et Barnabæ cœterisque describendum, et in orbe spargendum, deinde sua prædicatione, cum in Æthiopia evangeli scintillas in audientium animos effudit, idque miraculis confirmavit, illo imprimis, quo regis filiam a mortuis excitavit, regem patrem et uxorem ejus cum universa provincia ad fidem convertit: Iphigeniam regiam filiam ad virginitatis votum traxit, quamobrem ab Hyrcano regis successore necatus est.

Tertio, chrysolithus nocturnos pellere timores fertur. Fecit et hoc Matthæus, partim dum ex Æthiopia tenebras ignorantiae et nigrom scelerum depulit, partim dum in regia et amplissima

## ONCIO II.

civitate Naddaver duos magos Zaorem et Arphaxat (qui præstigiis suis homines ludificabant, sensibus privabant, serpentum immissorum morsibus sauciebant) confutavit, eorum fraudes detegendo et eos qui ab iis delusi et circumventi erant, sanando, apud Joan. de la Hayre in appar. evang. c. XLVII.

VIII. Beryllus Thomæ perquam similis. Nam primo, beryllus in India gignitur, gentis suæ lingue nomen habens, inquit Sanctus Isidorus, lib. XVI. etymol. cap. VI. Atqui Sanctus Thomas in prædicatione evangelii Indiam sortitus, est, ibi que martyr occubuit.

Secundo, colore refert aquam puri maris solis fulgore percussam. Ita etiam Thomas Christi aspectu et attactu, velut solis radiis percussus, pervictus et quasi collquefactus est, dicens: *Deus meus, et Deus meus. Quæ verba etiam marimum colorem, id est, habitum pœnitentis præ se ferunt.*

Tertio, beryllus politur in sexangulam formam ut repercuSSIONe angulorum splendor ejus alioquin hebes et surdus excitetur, ut scribit Isidorus, loco citato et Plinius, lib. XXXVII. cap. V. Ita Sancti Thome fides primo, surda et hebes excitari debuit a vulneribus Christi, quæ sibi post attractum, utique fortiter impressit, indeque non ad fidem tantum, sed et amorem Christi eximium inflammatus est. Ad hæc in sex angulos perpolitus fuit, quando sex diversis nationibus, Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis, Bactris, Indis christiana fidei et vitæ præcepta dedit, uti habemus in breviario, lect. IV. et cum Calaminæ telis confossus fuit.

IX. Topazius Jacobo minori dandus primo, quia coloris partim aurei, partim cærulei: seu ætherei est, gratissimo aspectu. Ita vero et Jacobus in facie Christo similis adeoque elegantissima forma fuit, et præterea suavissimi moribus, ita ut vel ab ipsis coleretur Judæis evangelii hostibus. Secundo, si topazium polire et levigare velis, asperatur magis, cum ipse natura sua sit eu-glyphus, id est, optimæ formæ, bene sculptus, et scalptus, ut scribit Ambrosius, in Psalm. CXVIII. Ita Jacobus: *Ab utero matris suæ sanctus fuit*, inquit Eusebius, l. II. hist. c. XXII. *vinum et siceram non bibit, animalium carnibus se abstinuit, novacula caput ejus nunquam rasum fuit, neque corpus oleo perunctum aut balneis lotum*. Cum ergo a teneris, sanctus et omni virtutum genere excultus fuerit, nostra commendatione obscurabimus eum potius, quam illustrabimus.

X. Chrysoprasus designat Judam Thaddæum, Jacobi minoris fratrem. Primo, quia est gemma viridis porri colore aureis guttis intermictans;

unde et appellationem habet. Ita Judas eximiam habuit fidem et charitatem.

Fidei suæ viorem et fervorem ostendit, quando in epistola sua hæreticos acerrime exagitavit, charitatem, quando Christo dicente: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum*, interrogavit: *Domine quid factum est, quia manifestatus es nobis te ipsum et non mundo?* q. d. cum tu sis mundi rex, quare nobis solum et non toti mundo te vis manifestare? Joan. XIV. Optabat ergo Christum a toto mundo agnoscere, diligere et colere.

Secundo, tradunt chrysoprasum ingenerare animo opum contemptum et liberalitatem, quia dilatat spiritus apud Cornel. a Lap. in Apocalyp. c. XXI. et de Juda tradunt aliqui missum esse ad Abagaram Edessæ regem, atque Abagaro aurum tum cælatum, tum rude offerentes dixisse: *Si nostra dereliquimus, quomodo accipiemus aliena?* sicque aurum respuisse, Euseb. I. hist. c. XIII.

XI. Hyacinthus Simoni correspondet. Primo, quia ut hyacinthus ex nominis sui flore vocatus est, cælorum colorem habens, inquit S. Isidorus, lib. LVI. etymol. cap. V. ita et Simon dictus est zelotes a zelo, ut vult, S. Hieronymus, epist. LIII. ad Ripatiū, quia zelo feruebat adeoque cæruleum seu cœlestem colorem præ se tulit, quia omnes homines cœlo transcribere optavit, quamquam a patria, Cana, dictum Chananaeum (zelotem Hebr. volunt alii.)

Secundo, hyacinthus magna cum cœlo sympathiam habet et cum ejus facie mutatur, sereno serenus et perspicuus, nubilo coram oculis evanescit atque marcescit, ut ait Isidorus, ibidem. Ita Simon Christo se conformavit, quando in civitate Suany captus a sacrificiis et populo raptusque ad templum solis, data sibi ab angelo optione, ut vel populi repentinum interitum, vel suum martyrium eligeret, elegit potius martyrium suum, ut populus viveret et converteretur. Hoc autem et Christus egit; quando noluit civitatem Samaritanorum igne perire, et quando maluit in Oliveto pergere ad passionem, quam defendi a discipulis. Denique, lapis iste sectus et excutitus est, quando serra divisus.

XII. Amethystus Matthiae decretus, ultima gemma ultimo apostolo, quia ut amethystus purpureus ex permixto violaceo, et quasi roseo nitor, leniter quasdam flammulas fungens, ut ait Isidorus, l. citat. c. IX. ita Matthias: *Fuit in lege Domini doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in solvendis quæstionibus sacrae Scripturæ acutus, in consilio providus, in sermocinatione expeditus, multorum signorum patrator, extensis in*

## IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

*cælum manibus martyr spiritum Deo reddidit*, inquit Sanctus Antoninus, p. I. titul. VI. Cætera in quibus apostoli gemmis istis similes fuerunt, quia hic in terris non agnoscamus ob historiæ defectum, videbimus in cœlo, etc.

## ONCIO III.

## APOSTOLI OSTENDUNTUR CATHOLICI.

- I. Quomodo catholicus S. Petrus. — II. S. Andreas. — III. S. Jacob Major. — IV. S. Joannes. — V. S. Philippus. — VI. S. Bartholomæus. — VII. S. Matthæus. — VIII. S. Thomas. — IX. S. Jacobus Minor. — X. S. Simon. — XI. S. Thaddæus. — XII. S. Matthias. — XIII. S. Paulus. — XIV. Judas Iscariotes manet hæreticus.

## THEMA.

Elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit. Luc. VI.

Genesis XXVI. legimus Isaacum in terra Geraræ putoeos fodisse adaquandis suis pecoribus: sed ubi reperit aquam vivam, illico pastores Geraræ cum pastoribus Isaac pro puteo litigasse, dicentes: *Nostra est aqua*. Aliquid non absimile contingit nobis, auditores. Fodit nobis Christus tamquam suis ovibus putoeos duodecim in hodierno evangelio, quando totidem elegit apostolos, quorum aqua sapientia omnes suas oves resciri volebat: sed ecce tibi pastores Geraræ, hoc est, prædicantes Lutheranorum et Calvinistarum insurgentes contra pastores Isaac, id est, Christi et Ecclesiæ, iisque clamantes: *Nostra est aqua*, nostri sunt apostoli, nostra eorum doctrina, nostra eorum religio. Volunt enim Christianos Ecclesiæ saltem primitivæ, ita credidisse, ac docuisse, quemadmodum ipsi nunc credunt et docent. Magnum quoddam est hoc, si demonstrent: sed prius cœlum et terra transibunt, quam hoc faciant. Nos ergo contra ipsos ostendemus, apostoli esse nostros.

I. S. Petrus catholicus ostenditur. Primo, quia primus fuit pontifex, fundavitque sedem pontificiam, primo Antiochiae, postea Romæ et tenuit ibi viginti quinque annis: cuius etiam cathedra lignea miraculis illustrata et a majoribus asserta adhuc ostenditur et custoditur in Vaticano. Exercuisse autem primatum suum, patet ex multis. Ipse enim Concilli præses in electione Sancti Matthiae fuit, Act. I. et in Concilio Jerosolymitano, Act. XV. Ipse pluribus Ecclesiis dedit, et ordinavit episcopos, ut videre est in Baronio, anno Christi 44. Secundo, quia a gentilibus atton-

sus fuit more sacerdotum in contemptum, teste Germano episcopo Constantinopolitano, in theoria ecclesiastica. Quemadmodum etiam Philippus et Joannes eadem tonsura clericali et sacerdotali habitu apparuerunt Theodosio imp. apud Baron. anno. 394. Unde colligitur, hanc tonsuram cæteris etiam apostolis fuisse usitatam. Tertio, quia missas celebravit super altari ligneo, quod hodie visitur Romæ, estque ipsum, in quo ex decreto Silvestri papæ nemo ob reverentiam S. Petri celebret poterat, Martin. Polon. in chron. sub Constant.

Quarto, quia in epistolis suis docet catholice, præcepit enim obedientiam erga superiores, contra doctrinam Luther. I. Pet. II. vult, ut bonis operibus certam nostram vocationem faciamus, II. Petri capite I. etc.

II. S. Andreas monstratur catholicus. Quia primo, cælibem vitam duxit, ut scribit Sophronius episcopus Jerosol. homil. de certam. SS. Petri et Pauli: tales autem vitam aversantur nostri hæretici. Secundo, ex proprio testimonio, quotidie immolavit agnum immaculatum in altari, sicut audisse et vidisse se scribunt sacerdotes Achæiæ. Tertio, maximus amator crucis fuit, eamque sibi præparatam et procul visam salutavit, ac dixit: *Securus et gaudens venio ad te, etc.* item: *O bona crux, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita et jam concupiscenti animo præparata, accipe me ab hominibus et redde mi magistro meo*. Longe aliter Lutherani et Calvinistæ, qui crucem fugiunt et exterminant. Cetera Lutherus, t. II. Germ. Wittemb. in l. de bello contra Turcam: *Si miles essem, (inquit) et videbam in acie sacerdotem aut vexillum cruce insignitum, vel ipsam quoque Crucifixi imaginem, non aliter inde profugerem, quam si me ipse diabolus fugaret.*

III. S. Jacobus Major, frater Joannis. Primo, virginitatem semper tenuit, teste Epiphanio, in panario, hæresi LVIII. Et certe non erat facile Sancto Jacobo cum uxore et liberis Hispanias adire, et inde in Judeam redire, ut nec aliis apostolis orbem totum peragrare, nisi cælibes vixissent. Quare universim apostoli, vel non habuerunt uxores (præter Petrum, de quo constat) vel eas dimiserunt. Secundo, impressit signaculum crucis ei, a quo ipse ad tribunal ductus fuit; qui tamen duxor videns virtutes Sancti Jacobi et ipse conversus est, et cum eo ductus est, uti Euseb. scribit, l. II. c. IX.

IV. S. Joannes catholicus demonstratur. Nam primo, virgo permansit omnium sententia: virginitatem etiam et Virginis miris præconiis extulit in Apoc. c. XIV.

## CONCIO III.

Secundo, Virginem Deiparam sibi a Christo commendatam impensisime coluit, quia accepit eam in sua: haeretici nostri a Beata Virgine Maria alienissimi sunt, imo ejus hostes.

Tertio, crucis signo se muniens descendit in monumentum, Niceph. I. II. c. XXIV.

Quarto, in sua epistola totus est catholicus. Primo, vult omnino mandata Dei observari, I. Joan. II. Qui dicit se nosse Deum, inquit, et mandata ejus non custodit, mendax est, quod impossibile dicunt Lutherani. Secundo, urget et requirit vitam sanctam et bona opera, ibidem: Qui sic sit, se in ipso manere, inquit, debet sicut de ambulavit (Christus) et ipse ambulare. Tertio, requirit confessionem, I. Joan. I. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra. Quarto, justitiam imputativam rejicit; ait enim, I. Joan. III. Filioli, nemo vos seducat, qui facit justitiam, justus est; qui facit peccatum, ex diabolo est.

V. S. Philippus altaria statuit et extruxit ad sacra mysteria rite celebranda in Scythia et Phrygia. Ordinavit etiam episcopos, presbyteros, diaconos et clericos, Metaphr. in vita et alii.

VI. S. Bartholomaeus, primo, centies per diem et centies per noctem flexis genibus orare consuevit Deum. Lutherani et Calvinistæ in centum annis ne semel quidem Deo flectunt genua. Expansis etiam manibus orasse scribitur, quem orandi ritum isti irrident. Secundo, crucem, ad quam alligandus excoriari debebat, adoravit et salutavit, simili fere modo, quod id fecit S. Andreas: nimur: « Salve crux, per quam humum genus gaudio affectum est; salve ejus crucis imitatio, per quam mors mortem dissolvit et mortales ipsos immortalitate donavit; salve crux quam cum Christus ascendit, terrenos homines celestes effect; salve crux, quia mihi hinc migranti vehiculum effecta es, quo ad celos perduci possim, que denique mei præceptoris imitatore me fecisti, etc. » Ut in ejus vita, apud Surium.

VII. S. Matthæus, primo, persuasit Iphigeniæ Eglyppi Æthiopum regis filiæ vovere virginitatem cum ducentis aliis, et ideo occidi jussus ab Hyrcano regis successore, qui Iphigeniam petebat in matrimonio. Quam ob rem victimam virginitatis appellatur ab Hippolyto episcopo et martyre, in l. de duodecim apost. haeretici nostri virgines Deo sacras a voto absolverunt et nuptui tradunt. Secundo, carnis abstinuit, oleribus tantum, haccis et seminibus victitans, ut scribit Clemens Alexand. I. II. paedag. c. I. Quæ sane delicato nosorum haereticorum stomacho minime sapiunt: Ecce enim, insanum esse talibus vicitare, cum

possit melioribus. Tertio, ad altare mysterium celebrans occisus est, postquam sacras virgines consecrasset, Metaphr. et alii.

VIII. S. Thomas, orans genibus flexis ante imaginem crucifixi hasta transfixus est, ut scribit Hieron. Osor. I. II. de rebus Indicis. Non ergo Lutheranus aut Calvinista fuit. Pingunt quidem et sculpunt se hoc schemate Lutherani in suis epitaphiis. Attamen dur vivunt, nunquam consipiunt orare flexis genibus ante Crucifixum. Præterea multas extruxit ecclesias, Niceph. I. II. c. XL. Septem etiam dierum jejuniū indixit et communionem dedit sub una tantum panis specie, ut refert ex auctoribus Guil. Eisengre, in cœn. primo, p. V. dist. VII.

IX. S. Jacobus Alphæi, seu minor, frater Domini dictus primo, carne semper abstinent (Euseb. I. II. hist. c. XXII.) imo ab animatis omnibus ab ineunte ætate. Secundo, tam assiduus inflentis ad Deum genibus fuit, ut callum genibus obduxerit, quod duritie camelī pellē aequaliter, ut in brev. et vita ejus habetur. Haeretici nostri elephantes sunt, qui genua flectere nesciunt. Tertio, primus missam solemnī ritu celebravit, unde et liturgiam scripsit, seu ejus celebrandi ritum et formam, ut indicat sexta Synodus de consecratione, d. I. c. Quarto, Jacobus, in epistola sua catholicum se ostendit; præcipit enim extremam unctionem, Jac. V. Urget vehementer bona opera, sine quibus fidem inutilem et mortuam asserit, Jac. II. Rursum, in Concilio Jerosolymitano voluit abstineri a suffocato et sanguine, adeoque delectum ciborum probavit. Act. XV.

X. S. Simon una cum Juda Perside implenis tempis scribitur.

XI. Judas Thaddæus acerrime insectatur haereticos, præsertim eos, qui docent, solam fidem sufficiente sine operibus; et eos, qui nullum agnoscunt peccatum nisi infidelitatis; tales vero haereticci nostri.

XII. S. Matthias, de quo parum certi habemus, præter ejus vocationem, legitimam, qua vel sola confundit nostros haereticos, qui suam asserere non possunt. In reliquis haud dubie fuit sectator suorum coapostolorum et electorum. Accedit ejus axioma: « Adversus carnem pugnandum et in nullo prorsus voluntati ejus, ac libidini concedendum, » Euseb. lib. III. hist. c. XXIX. At hoc profecto Lutheranum non est.

XIII. S. Paulus, atque hunc magnis extollunt vobis haeretici, tamquam puto se stantem, quia scilicet in ejus epistolis, ut dixit Petrus, II. Petri III: Quædam sunt difficia intellectu, quæ indoct. et instabiles (ut haereticci nostri) depravant, sicut et cæteras Scripturas a suam ipsorum perditionem:

## IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

velut cum ait, I. Cor. IX. Annon habemus potestatem circumducendi mulierculam sororem? Supponunt illi: Mulierculam uxorem: verum ludunt operam; in omnibus enim epistolis suis catholicam fidem confirmat, haereses vero confutat.

Primo enim, cœlibem se ostendit, I. Cor. VII. cum ait: Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis, si sic permanent sicut et ego. Eodem loco suadet extollit cœlibatum ac virginitatem. Deinde, gloriatur in cruce, ad Gal. VI. Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri, etc. Commendat jejunia et vigilias, II. Cor. VI. In omnibus exhibamus nosmetipsos sicut Dei ministros in vigilis, in jejuniis, etc. Rursum, mortificat seipsum, timens fieri reprobus, I. Cor. IX. Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim ipsi reprobus efficiar. Merita bonorum operum commendat et mercedem, I. Cor. III. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Damnat eos, qui fidem Deo datam, id est, vota frangunt, I. Tim. V. Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Adstruit liberum arbitrium, I. Cor. XV. Abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum: et, I. Cor. III. Dei adjutores sumus. Deum peccati auctorem facere abhorret, Rom. IX. Numquid iniquitas est apud Deum? Absit. Jubet cum timore et tremore salutem nostram operari, Phil. II.

Secundo, Romanæ fidei fuit; ait enim ad Rom. I. Fidem vestram et meam. Tertio, confessiones audivit, Act. XIX. Quarto, positis genibus oravit, Act. XX. Theclam ad virginitatis studium sua prædicatione incendit, apud Baron. an. 47.

XIV. Restat igitur solus Judas Iscariotes, quem libenter damus haereticis. Et vero ad ipsos spectat.

Primo, quia fur erat sacrilegus, ex Domini bursa furatus. Hoc autem fecerunt haeretici nostri, quando passim diripuerunt et in profanos ac proprios usus verterunt bona ecclesiastica. Ceterum sperandum est, eos tandem pretium sanguinis male acceptum relatuos in Ecclesiam, sicut et Judas fecit, meliori tamen eventu.

Secundo, quia ægre tulit, unguentum effundi super caput Christi. Idem vero faciunt haeretici, qui decorem Ecclesie inquis oculis aspiciunt, et cum possunt, amoluntur.

Tertio, quia a Christo ejusque collegio apostata factus est, quod item fecerunt haeretici, cum ab Ecclesia defecerunt.

Quarto, quia factio osculo Christum prodidit hostibus. Nihilo securius egerunt nostri haeretici, cum sub specie pacis politice necnon concessio- nis Augustanæ catholicis dexteræ dederunt, interim vero Calvinismum et alias plurimas sectas

in imperium clanculum invexerunt, nec aliud machinati sunt, quam ut fidem catholicam penitus opprimerent.

Nostra igitur est aqua, nostri sunt apostoli, nostra eorum religio, nostra et doctrina. Ceterum libertissime communicabimus illis aquam nostram, modo ad nos venire et bibere nobiscum velint, quod largiatur eis Deus.

## CONCIO IV.

## QUÆ DOCUMENTA NOBIS DET CULTER S. BARTHOLOMÆI.

- I. Fidei sinceritas docetur. — II. Fortitudo. — III. Magnitudo præmii cœlestis. — IV. Usus salutaris in variis. — V. Abusus cavendum.

## THEMA.

Omnis turba quærebatur eum tangere. Joan. VI.

Ex I. III. Reg. c. X. scimus thronum Salomonis ita fuisse extrectum ut inter duodecim leones fictiles ad illum ascendendum esset: thronus vero ille non obscure significabat thronum gloriæ Christi Domini, quem occupat in cœlo. Ad hunc thronum, auditores, omnes nos contendimus, et speramus aliquando Christum manu nostrâ tangere. Sed videte quales leonis circumstant ejus sedem: duodecim ejus apostoli, quæ formidando aspectu? Unus tenet gladium, alijs crucem, alijs serram, alijs clavam, alijs secundum, alijs hastam, alijs fustem, alijs cultrum, etc. Omnes illi enim per varia cruciatum et suppliciorum genera ascendere ad thronum illum jussi sunt: et hi sunt eorum baculi et scipiones, quorum nixu ascenderunt. Hæc eorum symbola et virtutum testimonia, terribilia quidem sed salutaria. Accedamus igitur ad illorum aliquem, Bartholomæum, et quæramus ex eo quid sibi vult cultus tuus?

I. Docet fidei et amoris S. Bartholomœi in Christum sinceritatem, ut qui nec tam crudeli execrationis supplicio ab eo separari potuit, et quem ore confessus est, eumdem sanguine suo testatus. Jansenius, Rupertus et alii quidam putant Bartholomœum esse Nathanaelem illum, de quo dicebat Christus: Ecce vere Israelita, in quo dolis non est, quippe dixit Christo: Rabbi tu es Filius Dei, tu es rex Israel, Joann. I. Quod si verum est, optime profecto quadrat Bartholomœo, quod de eo dixit Christus. Quam enim Bartholomæus ornatus doli expers esset in fide et dilectione Christi, patuit Deo et hominibus in pellis ejus detractione. Solumus enim dicere dolum et nequitiam haereticis latere intra cutem: Non enim qui in maximo, Judæus est: sed qui in occulto, Judæus est.